



1  
1  
2.  
3.  
4.  
/  
/  
/  
/





2  
VIII. 7  
1790, 1  
511

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
SVMTIBVS STVDIORVM IN LEGITIMAM  
NON IMPVTANDIS

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
PRINCIPE ET DOMINO

**DNO GVILIELMO VIII**

HASSIARVM LANDGRAVIO RELIQVA

EX INDVLTV

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
PRAESIDE

**IOANNE ANDREA HOFMANNO**

IVR. DOCTORE, PROFESSORE PANDECTARVM P. O.

ET H. T. DECANO FACVLTATIS IVRIDICAE

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

AC

PRIVILEGIA DOCTORIS LEGITIME CAPESSENDI

EXAMINI PROCERVM ACADEMIAE PVBLICO

AD D.

MAII CIOIOCCXC

SUBMITTIT

**IOANNES THEOPHILVS BAVM**

PRISGOVIO-LAHRENSIS.

MARBVGI

TYPIS IOANNIS BAYRHOFFERI.

1790 (XVIII 2)



DISSECTIO

DE  
VITAE

DE  
VITAE

IOHANNES ANDREA HOFMANNUS

PHYSICUS

IOHANNES ANDREA HOFMANNUS

PHYSICUS

PHYSICUS

IOHANNES ANDREA HOFMANNUS

PHYSICUS







## PRAEFATIO.

**Q**uestiones iuris controuersi et ambigui sunt: *utrum legitima sit iuris naturalis, an iuris mere civilis? item: quatenus expressa voluntate patris, matrisue fieri possit, ut sumtus studiorum imputentur in legitimam? Vtramque paulo altius discussio obuia in dissertatione, atque si id tanta vi ingenii perficere potuerim, ut dignatus fuero applausu eruditorum, id a me praestitum esse ducam, quod operae fuit pretium.*

Sin vero ista spes me fallat, nihilominus me existimabo felicem, quod meliora sim edoctus sententia viro-  
rum praestantissimorum, quorum examini cogitata mea  
omni, qua par est, pietate ac reuerentia, submiseram.

A

CA.



CAPVT I.  
DE OBLIGATIONE PARENTVM ET  
LIBERORVM MUTVA.

§. I.

**R**atione recta dicente hominum, alter alteri praestare debet id, quod conuenit humanae naturae, necessarioque ex eadem procedit. Sed continuatio existentiae, id est conseruatio sui, necessaria est homini per se ac suapte natura, quia alioquin viuere desinit; ergo hominum alter alteri, quantum in se est, auxilio esse debet, vt conseruetur.

§ 2. Si vero obligatio naturalis de conseruanda vita alterius sit vniuersalis, et ad omnes homines aequabiliter pertineat; necessum est, vt naturaliter etiam magis sibi mutuo teneantur illi, quorum alter ordine naturae, vel vitam alteri dedit, vel istam ab altero accepit. Lege ciuili a) mutua haec obligatio parentum et liberorum naturalis confirmatur hisce verbis: *ipsum autem filium, vel filiam, filios, vel filias et deinceps, alere patri necesse est, non propter hereditates, sed propter ipsam naturam, et leges b), quae et a parentibus alendos esse liberos imperauerunt, et ab ipsis liberis parentes, si inopia ex utraque parte vertitur.*

§ 3. Ea, quae ad vitam conseruandam sunt necessaria, pro ipsa vita substitui possunt, ceu causa pro effectu; ergo paren-

a) L. 8, § 5 C. de bon. quae lib.

b) L. 5, § 1 et 13 D. de agnos. et alend. lib.



parentes, atque liberi subministrare sibi mutuo debent omnem vitae necessitatem.

§ 4. Intrinsicca vero *causa vitae conseruatric* est vel *naturalis*, vel *arbitraria*; *illa* est ea, quae, vt ratio vitae appetens, seu appetitus, posita est in intrinseco principio appetitus naturalis, seu stimulorum naturalium; *haec* est illa, quae, vt ratio vitae appetitiua, posita est in intrinseco principio appetitus meri perceptiuae formalis, id est in intrinseco principio appetitus rationalis, vt talis; ergo *necessitas vitae humanae* est *naturalis*, quatenus eius intrinsicca causa est naturalis; *arbitraria* autem, quatenus ista causa est arbitraria.

§ 5. Obligatio de praestandis iis, quae ad vitam sunt necessaria, secundum rationem rectam necessario procedit ex natura humana (§ 1, 3); ergo obligatio illa pertinet ad necessitatem vitae non solum naturalem, sed et arbitrariam, adeo, vt dici haec possit moraliter necessaria.

§ 6. In illo homine, qui non habet vsum rationis, cessat intrinsicca causa vitae conseruatric arbitraria (§ 4); quare is defectus suppleri debet ex obligatione aliorum.

§ 7. In eo, qui ipse est causa vitae suae conseruatric sufficiens, cessat omnis eiusmodi causa intrinsicca; nam ad id, quod sufficit, nihil amplius requiritur. Ratio autem obligationis de vita alterius conseruanda continetur in causae intrinsiccae insufficientia (§ 1); quam legislator appellat inopiam (§ 2); ergo omnis cessat obligatio de vita illius conseruanda, qui est ipse causa eius conseruatric sufficiens.

§ 8. Quemadmodum vitae necessitas (§ 4), sic et obligatio hominum mutua est vel *naturalis*, seu *naturaliter necessaria*, vel *arbitraria*. Cum illa pertineat ad vitae necessitatem (§ 3, 5); haec non respicit, nisi ea, quae ad vitam alterius non sunt necessaria; sed in potestate liberi arbitrii posita. Differt itaque  
 A 2 ille



ille significatus obligationis naturalis ab eo, quo illa obligatio dicitur *naturalis*, quae ex dictamine rectae rationis, vt talis, nascitur, diuiditurque in *plenam*, et *minus plenam c)*, quarum illa est necessaria; haec autem arbitraria d).

§ 9. Necessitas vitae determinatur ratione recta (§ 1), idque vel superioris cuiusdam, vel ipsius hominis, quatenus sibi ipsi est lex. Si superior est Deus; obligatio hominum, proinde et parentum et liberorum, mutua, et naturaliter necessaria et arbitraria (§ 8), est ex pietate qualificata e); quare impium est alteri studio non praestare id, quod ex pietate ipsi debemus f).

§ 10. Sin vero superior est rector cuiusdam populi humanus; obligatio ad alteri praestandum id, quod ipsius, vt cuiusdam membri vniuersitatis superiori parentis, naturae conuenit, cum sit quidam nexus motiuorum cum actionibus moralibus, non quatenus sunt naturaliter, sed quatenus sunt ciuilitate tales, est *ciuilis*, quae est *ciuilitate necessaria*, et *arbitraria*, quatenus versatur circa ea, quae sunt posita in potestate liberi arbitrii (§ 8).

§ 11. Itaque obligatio ciuilis non est vniuersalis (§ 2), sed ciuium propria.

§ 12. Atque ex eo, quod quis tenetur alteri praestare ea, quae naturaliter sunt ad vitam necessaria, non sequitur: eundem quoque teneri ad ea, quae sunt ciuilitate ad vitam necessaria.

§ 14.

c) WESTENBERG Diff. I de caus. oblig. cap. 4, § 7, in opp. T. 2, pag. m. 68.

d) WESTENBERG cit. cap. 4, § 9, 11, 12, 14, 18, 20, 21, 22, 23.

e) L. 50 D. fam. ercisc. L. 11 C. de negot. gest.

f) ZIEGLER in lib. 2 ad Grot. de I. B. et P. cap. 7, § 4, MÜLLER ad STRVV. f. i. c. exercit. 30, § 75 not. d. adu. HOBBS: cap. 9, de ciue, art. 2.



§ 13. Similiter necessitas civilis, ut talis, non est potestas liberi arbitrii; quare ab obligatione civiliter necessaria non valet consequentia ad obligationem civiliter arbitrariam (§ 10).

§ 14. Cessante alicuius inopia, cessat obligatio ad illi praestanda quaedam vitae necessaria (§ 7); ergo obligatio civilis erga illum, qui civiliter non est inops, est mere arbitraria (§ 10).

§ 15. Inops autem intelligendus est vel simpliciter talis, vel secundum quid; quare is, qui non est inops, alteri, qui est secundum quid inops, non, nisi in subsidium, tenetur ad ea, quae sunt ad vitam necessaria.

§ 16. Obligatio erga se ipsum, saltem in signo rationis, ut loqui solent, est prior obligatione erga alterum; ergo is, qui aequae inops est, ac alter, neque naturaliter, neque civiliter tenetur praestare illi ad vitam necessariam quidquam.

§ 17. Summi iuris, rectori civitatis competentis, duae partes sunt ius circa profana et ius circa sacra *g*). Illud intelligi quoque solet per ius civile, hoc pertinet ad ius ecclesiasticum *h*). Quemadmodum igitur datur obligatio civiliter, simili modo obligatio est ecclesiastica vel necessaria, vel arbitraria (§ 10).

§ 18. Quamobrem, quae tradita sunt de obligatione civili, ob identitatis rationem facile applicari possunt ad obligationem ecclesiasticam vel necessariam, vel arbitrariam.

§ 19. Obligatio est vel perfecta, vel imperfecta; illa est ea, quae coniunctum habet ius cogendi; haec est illa, quae coniunctum non habet ius cogendi.

§ 20.

*g*) HUBER de iure civit. lib. 1, cap. 22, § 5, DE LYNCKER ad eundem cap. eod. § 2, not. (a),

BOEHMER exercit. ad D. 13, sect. 1, § 30, sect. 2, § 1, 2, 3, 4.

*h*) HUBER cit. cap. 22, §. 2.



§ 20. Necessitatis ratione efficere, vt aliquis inuite quid faciat, est *cogere*. Fieri autem per superiorem potest, vt necessitatem imponat inferiori ad inuite satisfaciendum obligationi suae, vel naturaliter (§ 8), vel ciuilitur (§ 10), necessariae; ergo obligatio vel naturaliter, vel ciuilitur necessaria est quaedam obligatio perfecta.

§ 21. Sed fieri nequit, vt is, qui habet vsum rationis, priuetur libero suo arbitrio. Atqui coactio repugnat naturae liberi arbitrii; quare obligatio et naturaliter (§ 8) et ciuilitur (§ 10) arbitraria est quaedam obligatio imperfecta.

§ 22. Ququam fieri possit, vt ea, quae ab initio in potestate liberi arbitrii sunt posita, ex post facto sint necessitatis i).

§ 23. Tantum de obligatione mutua in genere. Sequitur iam obligatio parentum erga liberos.

## CAPVT II.

### DE ONERE ALENDI ET EDVCANDI LIBEROS.

#### § 24.

Sustentatio et educatio liberorum est quodpiam onus matrimonii k): ergo liberi alendi sunt a patre, si is praecipue sustinere debet onera matrimonii; ab vtroque parente autem, si coniuges quo-

i) L. II C. de negot. gest.  
 k) P. MÜLLER ad G. A. STRVV. exerc. 30, § 71, tit. 8, nota 1), B. G. STRVV et I. A. HELLFELD in iurisprud. heroica, part. V, cap. I.

§ 46 seq. p. 35 seq. IO. FRANC. HARTERT vtrum sumtus, quos in academijs pater filio suppeditauit, in portionem eius heredit. veniant? sect. II, § 3 seq. p. 5 seq.



quodammodo onera matrimonii inter se habent communia l), id quod in Germania propter communionem bonorum coniugali-um, diuersi licet generis m), locum inuenit.

§ 25. Quia pater ratione eorum, quae proficiuntur sola ex natura feminea, habendus est carens; mater sola fert onus, si valet, et debet, lactandi n) et immediate gerendi curam recens natorum o). Nihilominus pater reliqua, quamprimum natus est partus legitimus, alimenta praebere iure iubetur.

§ 26. Nisi illi oneri ferendo vxor et mater impar sit vel propter morbum, aut nullum, aut noxium, morbove noxium lac, aut si mater ante tempus lactandi consuetum mortua est, eo sane casu patris sumtu conducenda et adhibenda erit nutrix p), quin imo circa matres illustres saepenumero et plerumque exceptiones in hoc casu eueniunt et fiunt q). Quibus in casibus lactatio, et cura recens natorum immediata fieri debet sumtibus eorum, qui sustinent onera matrimonii r).

## § 27.

l) arg. c. 2, X, qui filii sint legit. MÜLLER ad STRVV. exerc. 30, § 71, lit. d, nota II), CAR. GOTTL. KNORRE de alimentis a matre liberis praestandis, cap. I, § 1 seq. p. 3 seq. § 6 seq. p. 10 seq. cap. II, p. 29 seq. § 2 seq. SVRDVS de alimentis, tit. I, quaest. CVI, p. 231, 232.

m) HEESER in locis commun. de bonorum et inprimis adhaerentium coniug. communionem etc. part. I, loc. V, n. 292, 295, 296, p. 138, BOEHMER exercit. ad D. 70, § 4 seq. KNORRE l. d. cap. II, § 3, p. 30, specul. suu. lib. I, cap. 279, ius prouinc. electorat. Mogunt. tit. 3 et 4, statut. lahrens. art. 16 et 17, quae iuxta de adhaerentia coniugali et de aere coniugali alieno hesseni participat maritus, trientem vxor.

n) MÜLLER ad STRVV. exercit. ad D. 30, § 75, lit. d, nota III), STRYK in vñu mod. ꝛ. lib. 25, tit. 3, § 4.

o) MÜLLER ad eundem cit. exercit. 30, § 75, lit. a, nota II), KNORRE l. m. cap. II, § 5, p. 32, 33.

p) MÜLLER ibidem lit. a, in notis II et III), KNORRE l. m. cap. I, § 15, p. 23, 24.

q) MÜLLER l. c. § 75, in nota a, III, 493, vol. II.

r) IDEM ibid. nota a, II, p. 493 vol. II, SCHOEPP. consil. XXXVIII, n. 16, p. 290, et consil. LXXXII, n. 91, p. 634, vol. V III consil. tubing.



§ 27. *Dignitas est accidens, quod inest personae ex gradu, quae ipsi ratione moralitatis propriae erga aliorum personas competit, siue moralitas propria procedat ex facultate, siue ex habitu. Prouti moralitas est vel naturalis, vel ciuilis, dignitas quoque est vel naturalis, vel ciuilis.*

§ 28. In foro naturali, ceu diuino (§ 9), dignitatis vniuersalis ratione omnes homines sunt inter se aequales;

§ 29. *Sed homo ad vitam inopis conseruandam concurrere debet pro huius dignitate; quia dignitas est alicuius existimatio ex bono communi, quod ex ipsius moralitate redundat non solum in semetipsum, sed et in alios (§ 27); ergo naturaliter cunctis recensentis, quoad eorum dignitatem, debetur illi aequalis sustentatio et educatio (§ 28).*

§ 30. *Liberi sunt vel in matrimonio nati, vel naturales; illi nascuntur ex iustis nuptiis; hi non item.*

§ 31. *Matrimonium autem vel est iustum, non naturaliter solum, sed et ciuiliter, vel est duntaxat naturaliter, nec ciuiliter iustum. Qui vero ex matrimonio hoc sunt procreati, dicuntur illegitimi, seu naturales. In significato autem huius vocis tatori omnes liberi dicuntur illegitimi, qui ex iusto matrimonio non sunt nati.*

§ 32. *Similiter naturales nascuntur vel ex coitu naturaliter licito, vel naturaliter illicito; illi sunt liberi stricte sic dicti naturales; hi nominantur modo vulgo quaeisiti, item spurii, modo incestuosi etc.*

§ 33. *Liberi legitimi sunt a parentibus alendi, et educandi pro eorum dignitate (§ 29), quatenus non sunt inopes (§ 14); ergo liberi legitimi pro dignitate patris et pro modo facultatum suae illius, siue vtriusque parentis (§ 24) s; quia publice interest,*

§) L. 19 D. de statu hom. L. 5, § 7  
D. de agnosce. et alend. lib. STRVV.  
exercit. l. c. 30, § 74, STRVV. et

HELLFELD l. d. part. V. cap. I,  
§ 46 seq. p. 35 seq.



terest, ali liberos legitimos pro dignitate ordinum et familiarum t).

§ 34. Iure etiam germanico alimenta liberis debita numerari solent inter onera matrimonii (§ 24). Duratio matrimonii autem est quidam effectus vitae coniugum socialis; ergo matrimonio morte aliaue aliqua ratione soluto, cessat illa obligatio parentum communis.

§ 35. Liberi, quatenus educationis suae causa ipsi indigent hereditate vel paterna, vel materna, liberantur ab onere alendi coniugem superstitem (§ 16); ergo pater, aut mater, qui, quaeue secundum ius germanicum fruitur liberorum hereditate paterna, tenetur ad illos alendos pro patris dignitate et pro modo illius facultatum (§ 33), quin etiam alimenta liberis in communi prorogata debentur.

§ 36. Quae confirmantur iure provinciali electorali moguntinensi u), et iure statutorio lahrensi v).

§ 37. Ius subsidiarium, quo ius utendi fruendi bonis liberorum vel paternis, vel maternis competit, et obligatio liberorum ea de re subsidiaria (§ 15), sunt correlata; quare ipsa aequitas naturalis w) exigit, ut coniux superstes subsidiarie teneatur ad alendos et educandos liberos, quorum bona vel paterna, vel materna haud sufficiunt. Secundum ius provinciale electorale moguntinum x) fieri id debet pro arbitrio iudicis. In iure statu.

z) L. I, § 13 D. de inspiciendo ventre. SYRDOVS de alimentis, tit. III, quaest. XVIII, n. I seq. p. 467, Io. MAVR. WEYER de communi bonorum inter coniuges etc., part. II, th. V, n. I, p. 264.

u) Tit. 7, § 3.

v) Art. 13.

w) L. 5, § 28, de agnosc. et al. lib. verbis: *cum ex aequitate haec re descendat, caritateque sanguinis etc.*

x) Tit. 7, § 6.

B



statutario lahrensi *y*) cautum est, vt mater liberos, qui carent quopiam peculio aduentitio sufficiente, in subsidium alat, & educat pro modo facultatum suarum.

§ 38. Educatio ciuilis, quae lege debetur in subsidium, non pertinet ad voluptatem, sed ad vitae necessitatem (§ 5); quare coniux superstes ad illam praestandam perfecte obligatur (§ 10) 2).

§ 39. Coniux superstes imperfecte obligatur ad ea, quae liberis suis in foro naturali arbitrarie debet ex pietate, nisi ipso pietatis actu voluntario agnoscat suam obligationem perfectam (§ 10, 31, 32, ), quemadmodum illo in casu praesumitur, quo negotia alius cuiusdam non gerit, qui perfecte obligatus non est, *a*); ergo in iis, quae coniux superstes praestat ex obligatione simpliciter perfecta (§ 38), cessat vel protestatio, vel confessio rationum singularium, in quas impensae animo credendi referri solent *b*), qua elidatur dicta praesumptio pro obligatione perfecta *c*).

§ 40. Pii patris est curare, vt studiis, artibus quoque liberalibus liberi imbuantur, ipsius sumptibus, qui modum facultatum non excedunt *d*). Illo autem casu, quo filius vel

*y*) Art. 13, verbis: Aber Mütter sind ihre leibliche und eheliche Kinder von ihrem, der Mütter, eigenem Gut zu ernähren und aufzuziehen nit schuldig: Es wäre dann Sach, daß der Vater an Nahrung arm und obdvermöglich, und die Kinder sich selbst von eigenem väterlichen, oder andern Erb, oder Gut, oder sonst nit nähren könnten. Conf. MÜLLER ad STRVV. exercit. ad D. 30, § 76, lit. 3, nota II).

2) L. 5, pr. § 1, 2, 10 D. de agnosf. et al. lib. L. 34 C. eod. MÜLLER ad STRVV. exercit. ad D. 30, § 77, lit. 1.

*a*) L. 34 D. de negot. gest., CARPZOV. p. II, C. 10, defin. 24.

*b*) dicta L. 34 D. de negot. gest., L. 50 D. fam. ercisc. LAUTERBACH colleg. th. pr. 7. lib. 37, tit. 6, § 16.

*c*) dicta L. 34 D. de negot. gest. MÜLLER ad STRVV. exercit. ad D. 30, § 75, not. *a*, LAUTERBACH l. m. lib. 25, tit. 3, § 14.

*d*) L. 6, 7 D. de aliment. vel cibari. L. 4 D. vbi pupill. educ. debet, L. 6, § 5 D. de carbon. edict. L. 5. § 12 D. de agnosf. et alend. lib.



fensu, vel iussu patris sese dedidit studiis altioribus, sumtus excedere facultates, nisi filius segniter et infeliciter illa excolat, non videntur; quia non licet patri mutare consilium in filii detrimentum e). Accedit, quod sumtus studiorum filiis suppeditandi referri soleant ad alimenta ciuilia; alimenta autem in legitimam non imputantur.

§ 41. Iure germanico, vbi communio bonorum coniugaliū moris est, onus educandi liberos sustinent parentes (§ 24, 34); ergo & subministrare debent sumtus studiorum pro modo facultatum.

§ 42. Et quemadmodum parentes principaliter, (§ 41), sic coniux superstes ea de re perfecte obligatur quodammodo in subsidium (§ 38). Idem disertis verbis, et in iure prouinciali electorali moguntino f) et in iure statutorio lahrensi g) cautum est, ita, vt orta quantitatis ratione lite, res decidatur pro arbitrio iudicis.

§ 43. Itaque subministratio sumtuum studiorum eo loci, quo ista in Germania non solum ex aequitate (§ 37), sed et lege ciuili debetur (§ 38), siue principaliter, siue in subsidium, non est praestatio eius, quod animo credendi datur (§ 39); sed est quaedam donatio ciuilitate necessaria h), et, relata ad obligationem mutuum (§ 2), remuneratoria, quae procedit ex pietate et naturaliter (§ 2), et ciuilitate debita (§ 2, 10), quae  
B 2 efficit,

e) L. 75 D. de R. I. MÜLLER ad STRVV. exercit. ad D. 30, § 77, lit. n, p. 496, vol. II, SVRDVS l. d. tit. VIII, priuileg. LVII, n. 2, §, p. 907; et tit. VI, quaest. XVIII, n. 7 seq. p. 645 seq. SCHOEFF consil. LVIII, n. 107 seq. p. 461, vol. VIII consil. turing.

f) Tit. 7, § 3, 6.

g) Art. 13, verbis: Aber wann

der Vater und die Kinder an Nahrung arm und ohndermöglich sind, und die Mutter bey Leben des Vaters, oder nach seinem Tod, habend und reich ist, das zu billiger Maßigung unserer Amtleut und der Gericht an iedem End stebet; so solle die Mutter angehalten werden, die Kinder ziemlich und leidentlich auszusteuern und zu berathen, geistlich, oder weltlich zc.



efficit, ut pecunia ad sumtus studiorum subministrata censeatur esse peculium non profectitium, sed aduentitium *i*), seu potius peculium quasi castrense *k*).

§ 44. Nihilque refert, utrum filius sit emancipatus *l*), nec ne. Similiter, utrum industria sua quodpiam lucratus sit peculium quasi castrense, seu aduentitium, sed quod ad ea, quae sunt in studia expendenda, haud sufficiat (§ 37, 42), nec ne *m*)?

§ 45. In iis tamen, quae modum facultatum secundum arbitrium patris, vel matris excedunt, positum est in potestate liberi arbitrii eorum, utrum sumtus studiorum eatenus subministraverint animo credendi, an animo debendi *n*); nam obligatio civiliter perfecta ad illa duntaxat pertinet, quae modum facultatum non excedunt (§. 35, 37).

§ 46. Si coniux superstes, mutato viduitatis statu, cuius ad tempus restrictum erat, eius ius fruendi bonis liberorum paternis, aut maternis, amittit hunc usumfructum, eatenus cessat causa oneris alendi liberos; proinde cessat hoc ipsum onus (§ 35), nisi quatenus coniux superstes istud sustinet ex obligatione subsidiaria (§ 37).

§ 47.

*h*) L. 50 D. fam. ercisc. L. 4 D. ubi pupill. educ. WESTENBERG diss. I. de port. legit. cap. 5, § 19, 23, opp. T. 2, pag. m. 14, 15, DE LEYSER spec. 434, med. 17.

*i*) GAIL lib. 2, obs. 38, n. 5.

*k*) LAVTERBACH l. m. lib. 37, tit. 6, § 15. Dissentit quidem I. T. RICHTER in diss. de sumtibus studiorum ad peculium quasi castrense non pertinentibus, Lips. 1752 habita, cap.

III; sed calculum album LAVTERBACHIO adiicio.

*l*) L. 50 D. fam. ercisc. HARTERT l. c. sect. II, § 24 seq. sect. III, § 6 seq.

*m*) L. 5, § 7 D. de agnosc. et alend. lib. MÜLLER ad STRVV. exercit. ad D. 30, § 76, lit. β, nota VI).

*n*) L. 50 D. fam. ercisc. LAVTERBACH l. m. lib. 37, tit. 6, § 16, HESER l. d. part. II, loc. XXIII, n. 59 seq. p. 1095.



§ 47. Sed si ex illo usufructu reservat ad dies vitae habitationem aedium ad liberos pertinentium (§ 72), quatenus ea, quoad detentionem rei corporalem, seu quoad eius usum physicum, exercendae artis quaestuariae causa, vnde se, suosque sustentet, carere nequit; restat quoque onus alendi liberos, ad istam habitationem aedium proportionatam (§ 35); quamobrem, si proprietarius illarum aedium, qui, vt vnus ex heredibus, successit in defuncti ius eandem exercendi artem liberalem o), in ea institui debeat, coniux superstes tenetur ad illum gratis erudiendum in arte liberali paterna.

§ 48. Causa subsidiariae obligationis ciuilitate perfecta ad alendos liberos legitimos pro dignitate patris est ius vtendi fruendi eorum bonis paternis, vel maternis, ipso iure in Germania constitutum (§ 37, 43). Auus autem et auia non gaudent in bonis nepotum paternis vel maternis eodem iure. Cessante itaque causa illius obligationis, cessat ipsa haec obligatio, proinde e regula non obligantur aut ad alendos nepotes parentibus orbos in subsidium, nisi ex pietate naturaliter debita (§ 9), quae est ciuilitate arbitraria (§ 10); quanquam propter obligationem naturaliter perfectam ciuilitate cogi possint; quamobrem, si auus vel auia ea in re negotia gessit nepotum, ab arbitrio illius, si cautelas eo nomine in iure ciuili praescriptas (§ 39) obserauerit, dependet, vtrum nepotibus alimenta praestiterit animo credendi, an animo donandi p). Quod reliquum.

CA.

o) L. II D. de diu. temp. praescript. L. 22 D. de usurpat. et vfucap. WESTENBERG compend. Digest. lib. 41, tit. 3, § 22.

p) L. 8 π. de agnoscend. et alend. liberis, L. 34 D. de negot. gest.

MÜLLER ad STRVV. exercit. 30, § 75, lit. a, verbis: *imo nec vt ea gratis subministraret, quemadmodum pater, cogi potest etc.* LANTERBACH l. d. lib. 37, tit. 6, § 16, HEESER l. m. loc. V, n. 214 seq. p. 130.



CAPVT III.  
DE LEGITIMA.

§ 49.

Vnusquisque velle debet, vt id post mortem suam fiat, quod recta ratio dicitur (§ 1). Ille itaque, qui, dum est in viuis, alere alterum tenetur, velle debet, vt id quoque ope bonorum suorum relictorum fiat post obitum sui, ac proinde velle debet, vt ipsi, ceu domino defuncto, in bonis suis relictus ille, vt is, qui ea in re personam ipsius repraesentet, succedat, id est, vt sit *heres* suus.

§ 50. Si ergo parentes, et liberi sibi mutuo sint perfecte obligati ad sese alendos (§ 2); sequitur, vt quoque sint perfecte obligati, ad efficiendum, vt in casum mortis alter sit heres alterius, qui obiit, excepto illo casu, quo adeo laesit defunctum, vt is habuerit iustam exheredandi causam q).

§ 51. Quum igitur, quatenus delatio hereditatis est quaedam praestatio alimentorum in genere, eatenus ab obligatione ad alendum argumentari possit ad obligationem de hereditate deferenda; diuidi *hereditas* potest in illam, quae ad vitam pro dignitate familiae sustentandam est *necessaria*, et illam, quae est vitae illius sustentandae ratione *arbitraria*.

§ 52. Quare, quemadmodum illa obligatio, quae versatur circa ea, quorum beneficio vita conseruatur, est vel necessaria, vel arbitraria, (§ 8), proinde aut perfecta, aut imperfecta (§ 20, 21); sic quoque *mutua parentum et liberorum obligatio ad sibi deferendam hereditatem est modo perfecta, modo imperfecta*.

§ 53. Et vtraque est siue naturalis, siue ciuilis (§ 10, 12), seu mixta (§ 43).

§ 54.

q) Nou. 115, cap. 3, et 4.



§ 54. Hereditatis autem (seu potius omnium bonorum a defuncto relictorum r) illa portio, quae mixte naturaliter s), atque perfecte debetur heredi (seu, quemadmodum loquitur WESTENBERGIUS t), quae ex praescripto legum liberis, parentibus et fratribus est relinquenda) dicitur legitima.

§ 55. Itaque ille, qui legitimam non relinquit ei, cui debetur, non violat solum legem civilem, sed agit etiam contra dictamen rectae rationis. Quatenus prius committit, agit iniuste; quatenus posterius, secundum usum loquendi receptum u), agit inique.

§ 56. Quae si sint ita, LEYSERVS v), quo iudice legitima est iuris mere civilis, ea in re errat; primo enim ipse fatetur, lege naturae iuberi, ut necessaria alimenta liberis, parentibusque relinquuntur. Si ergo supra (§ 51, 52, 54) ostensum sit, legitimam reuera haberi quamdam speciem alimentorum necessarium; necessum est, ut dictante recta ratione, liberis, vel parentibus legitima sit relinquenda. Deinde, si quodpiam petit argumentum ex auctoritate GROTII, is w) diserte ait, lege humana legitimam tolli non posse, quatenus in ea infant alimenta necessaria. Denique pro fundamento asserti sui affert privilegium militum, qui legitimam relinquere non tenentur x). Sed pagani non fruuntur privilegio militum. Et quia privilegia stricte sunt interpretanda; dicendum est, in L. 9. C. de inoff. testam. tacite idem, quod in L. 24. C. eod. disertis verbis, cautum esse, nimirum immunitatem militibus ea in re non, nisi quoad peculium castrense, datam esse y). Quibus accedit, quod pro quolibet mili-

r) LEYSER spec. 91, med. 4.  
s) GAIL lib. 2, obf. 122, n. 3, et 4.  
t) Diff. 1 de port. legit. cap. 1, § 8, in opp. iurid. T. 2, p. 4, diff. 3, c. 1, § 1, p. 29, diff. 1, de caus. oblig. cap. 4, § 30 sqq. opp. T. 2, pag. m. 71, diff. 3, cap. 1, § 3, T. eod. p. 86, diff. 4, cap. 5, § 8, T. eod. pag. 108.

u) WESTENBERG diff. 4, de caus. oblig. cap. 5, § 8, opp. T. 2, pag. 108.  
v) Spec. 91, med. 3.  
w) de I. B. et P. lib. 2, cap. 7, § 4, n. 3.  
x) L. 9, 24 C. de inoff. test.  
y) L. 37, § 1, C. de inoff. testam.



militet praesumptio. Quum igitur ratio legis civilis, quae iubet paganos, ut legitimam relinquunt, reperiunda sit in pietate perfecte debita (§ 43, § 1, § 4); propter militum conditionem singularem praesumendum est; pia quoque mente eos agere, quando, legitima liberis parentibusue denegata, solos extraneos instituerunt heredes. Itaque haec exceptio non tollit, sed potius firmat regulam, et conditionem ex lege, quam WESTENBERGIVS 2) admittit, excludit. Ceterum, si ius naturae ignoret legitimam, vlla ratio intelligi nequit, qua fieri potuit, ut ante iuris civilis existentiam solis ex principiis aequitatis naturalis de relinquenda legitima introducta sit querela inofficiosi testamenti (§ 55).

§ 57. Antiquissimo iure patria potestas Romanorum fuit (sit ita loquendi venia) quaedam despotica maiestas domestica, quippe, ut ait HEINECCIUS a), dominium quiritarium, quod patri competiit in liberos.

§ 58. Libertas despotica, quam quoad hereditatis delationem in se continuit patria illa potestas, postmodum confirmabatur lege XII. tabularum: *Pater familias uti legasset super pecunia tutela rei suae ita ius esto b)*.

§ 59. Postquam igitur ista libertas tantam exseruerat efficaciam, ut nonnunquam liberi, et vicissim ab his parentes, sint iniquissime (§ 55), iuste tamen (nam cessante lege civili, cessat eiusmodi legis violatio (§ 55), exheredati c); nouo iure exorta est querela inofficiosi testamenti d), et ad excludendam istam querelam, ceu inuerecundam quamdam accusationem, verius ad vindicandam testatoribus libertatem voluntatis naturalem in iis, quae ab eorum arbitrio dependent (§ 51, § 2); quae autem istis rescissione testamenti inofficiosi adimebatur, exceptio legitimae relictæ e).

§ 60.

2) Diff. 2 de port. legit. cap. 2, § 29, opp. T. 2, p. m. 24.

a) Elementa iur. ciu. secundum ordinem instit. lib. 1, tit. 9, § 136, 137, 138.

b) WESTENBERG in diff. 1, de

port. legit. cap. 4, § 4, opp. T. 2, pag. 8, 9.

c) HEINECC. I. d. lib. 2, tit. 13, § 520, 581.

d) L. 2 D. de inoff. test. pr. I. eod.

e) WESTENBERG diff. 1, de port. legit. cap. 4, § 8 opp. T. 2, pag. m. 9.



§ 60. Quantitas legitimae ab initio non in testatoris, sed in iudicis potestate liberi arbitrii erat posita *f*), idque tandem, donec tandem ad exemplum quartae Falcitiae interpretatione, ut creditur, Ictorum recepta fuit pars quarta portionis hereditariae ab intestato debita *g*).

§ 61. Quae quantitas postea legibus *h*) confirmata est, mansitque eadem, donec Iustinianus imperator augebat eam et mutabat, cum sanxisset: 1) ut legitima prorsus esse debeat libera ab omni gravamine, id est, decremento, quod excogitari, et ista villo modo capere potest *i*); 2) ut liberis, si eorum sint quinque pauciores, debeatur non amplius quadrans, sed triens, sin vero eorum sint quinque et plures, semissis *k*); 3) ut liberis curialium debeatur dodrans *l*), ut pro dignitate ordinis curialium oneri ferendo pares sint *m*); 4) ut vice proprietatis, et usufructus, quorum vterque debetur, non relinquatur nuda proprietas portionis hereditariae *n*); 5) ut liberis, etiam si diuites sint, tamen legitima debeatur *o*); 6) beneficium iuris enim circa legitimam procedit ex pietate perfecte debita (§ 49) illius, qui alterum ope bonorum relictorum post mortem quoque suam alere tenetur (§ 49, 53), quatenus ad vitam pro dignitate familiae (§ 1) ordinisue (§ 61, n. 3) sustentandam hereditas est necessaria.

§ 62. Id, quod quantitati relictae deest de portione legitima, sicuti olim arbitrio iudicis (§ 60), iam suppletur lege (§ 61), ne illi querela inofficiosi indigeant, qui vel in minima parte instituti sunt (§ 59); quare his non competit querela inofficiosi, sed conditio ex lege ad supplementum legitimae *p*).

CA-

*f*) L. 25, pr. D. de inoff. test., WESTENBERG diss. 1, de port. legit. cap. 4, § 9 sqq. opp. T. 2, pag. m. 9.

*g*) WESTENBERG cap. eod. § 13 opp. T. 2, pag. 10, diss. 3, de port. legit. cap. 1, § 9, opp. T. 2, pag. 30.

*h*) L. 8, § 8 D. de inoff. test. § vlt. i. eod. L. 6 C. eod.

*i*) L. 32, 36, pr. C. de inoff. testam.

*k*) Nou. 18, cap. 1.

*l*) Nou. 18, cap. 2.

*m*) Nou. 38, pr. et cap. 1, 2, 3, WESTENBERG diss. 3, de port. legit. cap. 2, § 5, opp. T. 2, pag. 31.

*n*) Nou. 18, cap. 3.

*o*) arg. Nou. 115, cap. 3. WESTENBERG diss. 2, de port. legit. cap. 2, § 7, opp. T. 2, pag. 20.

*p*) § 2, l. de inoff. testam. L. 32, C. eod.

C



DE IIS, QVAE IN PORTIONEM LEGITIMAM  
IMPVTANDA VENIUNT.

§ 63.

**E**a de re diserte statuit Iustinianus imperator *q*): *ea tantummodo ex his, quae conferuntur, memoratae portioni (quartae) computabuntur, pro quibus specialiter, ut hoc fieret, expressum est.*

§ 64. Sin ergo ea imputanda sint, quae quis habet ex substantia defuncti, et lex imputari iubet (§ 83); sequitur, vt imputentur *primo* ea, quae quis ex substantia defuncti habet per voluntatem vltimam; veluti pars etiam minima, qua quis heredis titulo est institutus (§ 61) *v*); legata et fideicommissa *r*); donatio mortis causa *t*).

§ 65. *Deinde* imputantur ea, quae quis ex substantia defuncti accepit per actum inter viuos, veluti peculium profectitium *u*), quatenus in eius bonis etiam tempore mortis patris, et in vniuersum personae hereditatem relinquentis, inuenitur *v*); proinde imputantur dos, donatio propter nuptias *w*); donatio simplex inter viuos, hac lege, vt *in portionem legitimam* imputetur, facta *x*); militia pecunia personae hereditatem relinquentis emta (videlicet eiusmodi militia, quae vendi, aut in heredem transmitti potest) et militiae casus *y*), excepta militia silentiorum *z*);

ea,

*q*) L. 20, pr. C. de collationib.

*r*) § 6 I. de inoff. test. Nou. 115, cap. 3, pr.

*s*) § 6 I. de inoff. test. L. 8, 35 C. eod.

*t*) § 6 I. de inoff. test. L. 8, 30, 36, pr. C. eod.

*u*) L. 1, pr. § 19 D. de collat. L. 6, 12, 13, 17 C. eod.

*v*) L. 6, 20, pr. C. de collationib.

*w*) L. 29 C. de inoff. test. L. 20 C. de collationib.

*x*) L. 25, pr. D. de inoff. test. L. 35, § 2, C. eod. L. 20, § 1, C. de collationib. verbis: *illa vero, quae simpliciter tantummodo donationem etc.*

*y*) L. 30, § 2 C. de inoff. test. L. 20 C. de collationib. WESTENBERG diff. 3, de part. legit. cap. 6, § 6, opp. T. 2, pag. 41.

*z*) cit. L. 30, § 2 C. de inoff. testam.



ea, quae studiorum causa credendi animo (§ 45, 48) sunt subministrata, si animus credendi potest demonstrari a); alimenta, quae quidem pietate naturaliter debentur; sed quae quis nihilominus animo credendi (§ 48) a se praestita esse demonstrat b), etc.

§ 66. At non imputantur bona adventitia c), castrensis, et quasi castrensis d).

§ 67. Donatio remuneratoria censetur esse quodpiam pecuniam adventitiam (§ 43); ergo non imputatur in portionem legitimam e).

§ 68. Subministratio sumptuum studiorum, quae fit animo donandi, est quaedam species donationis remuneratoriae (§ 43), atque pecunia ad istos sumptus subministrata est quodpiam pecuniam quasi castrensis (§ ead.); ergo, nisi animus credendi probetur (§ 65), sumptus studiorum in portionem legitimam non imputantur f).

§ 69. In sumptibus studiorum, quae civiliter perfecte debentur, cessat protestatio, et confessio rationum de pecunia credita (§ 39); ergo neque eiusmodi rationibus, neque nudis testatoris verbis animus credendi probatur g).

§ 70. Itaque illo in casu, quo ex specie facti, veritate fulta (quae inprimis demonstrari potest ope vel inventarii, vel specificationis iuratae) apparet, summam, quae iussu testatoris imputari debet, excedere quantitatem totius portionis legitimae (cuiusmodi casum facile posse contingere intelligimus ex summa plus  
IXM

a) L. 50 D. fam. ercisc. L. 34 D. de negot. gest. cit. L. 11 C. eod.

b) cit. L. 34 D. de negot. gest. cit. L. 50 D. fam. ercisc. L. 20 pr. C. de collationibus.

c) L. 36, pr. C. de inoff. testam. verbis: *facimus, ea quidem omnia quasi iure adventitia cum lucrari, repletionem autem ex rebus substantiae patris fieri etc.*

d) L. 1, § 15 D. de collat. L. 21 C. eod. LAVTERBACH l. c. lib. 5, tit. 2, § 48.

e) L. 20, pr. C. de collat. WESTENBERG diss. 3, de port. legit. cap. 6, opp. T. 2, pag. 42.

f) L. 50 D. fam. ercisc. L. 1, § 15 D. de collat. L. 21 C. eod. CARPZOV p. 3, C. 11, defin. 17, LAVTERBACH l. c. lib. 5, tit. 2, § 18. WERNHER T. 1, part. 2, obl. 424, WESTENBERG diss. 3, de port. legit. cap. 6, § 9, opp. T. 2, pag. 42.

g) L. 6 seq. D. de probat. CARPZOV p. 3, C. 11, defin. 16, LAVTERBACH l. m. lib. 37, tit. 6, § 16.



IXM ioachimicorum, quam apud WERNHERVM *h*) a fratre conferri voluerunt eius coheredes) ille testatoris iussu erit idoneum argumentum, cum animo exheredandi filium voluisse, imputationem pecuniae ad sumtus studiorum subministratae fieri, proptereaque locum inuenit querela inofficiosi testamenti (§ 59, 61), quia nihil in fraudem portionis legitimae fieri debet *i*).

§ 71. E contrario si constat, subtracta summa, iussu testatoris imputanda, a portione legitima aliquam partem etiam minimam remanere; eum, cui ista portio hoc pacto relicta est, ut isti imputentur sumtus studiorum, iuuabit conditio ex lege ad supplementum legitimae (§ 61) *k*).

§ 72. Quum iudicium possessorium cum petitorio quodammodo cumulari possit *l*), petito pro supplendo eo, quod quantitati relictae deest de portione legitima, addi potest impioratio pro decernendo mandato immissoriali *m*).

§ 73. Ceterum illi aperte falluntur, qui ex verbis ZENONIS in rescripto, quod est in L. 29 C. de inoff. testam.: quoniam nouella constitutio Diui Leonis ante nuptias donationem a filio conferri ad similitudinem dotis, quae a filia confertur, praecipit, etiam ante nuptias donationem filio in quartam praecipimus imputari etc., colligunt, in portionem legitimam imputanda esse omnia, quae conferenda sunt; omnes enim species peculii profectitii de regula imputantur in legitimam (§ 65). Quum igitur dos, et donatio ante nuptias sunt eiusmodi species (§ ead.); manifestum est, laudatum rescriptum ZENONIS legi 20 pr. C. de collationib. (§ 64) non repugnare *n*).

§ 74. Quum ea, quae hactenus nostra de materia tractauimus, pro scopo huius dissertationis sufficient, labori imponimus

F I N E M.

*h*) cit. T. 1, part. 2, obs. 424.

*i*) L. 8, pr. L. 32, 36, pr. C. de inoff. testam. WESTENBERG diss. 4, de port. legit. cap. 3, § 1, opp. T. 2, p. 49.

*k*) HEINECCIUS l. m. lib. 2, tit. 18, § 582, WESTENBERG diss. 4, de port. legit. cap. 4, § 8, opp. T. 2, pag. 51.

*l*) BOEHMER in tr. de action. sect.

3, cap. 1, § 4.

*m*) L. ult. C. de edict. Hadr. toll. WESTENBERG diss. 4, de port. legit. cap. 4, § 6, opp. T. 2, pag. 51, BOEHMER in tr. de action. sect. 2, cap. 3, § 5, et 8.

*n*) WESTENBERG diss. 3, de port. legit. cap. 6, § 2, 3, opp. T. 2, p. 41.



VIRO CONSULTISSIMO ET DOCTISSIMO  
IOANNI THEOPHILO BAVMIO  
CANDIDATO PRO LICENTIA  
SYMOS IN VTRIQVE IVRE HONORES  
AC  
PRIVILEGIA DOCTORIS LEGITIME CAPESSENDI  
DIGNISSIMO  
S. D.  
P R A E S E S.

---

*Quod mihi Decano praesenti illustris facultatis iuridicae recensendum exhibuisti, Vir consultissime, praestantissimeque, legalis TVAE doctrinae specimen inaugurale reddo, quumque illud ex fontibus varii iuris studiose deductum, ac plenum bonae frugis habuerim, nouum hoc singularis TVAE eruditionis documentum gratulor. Quumque hisce ornamentis accedunt, quae cunctis commendabilem TE reddunt praeclara animi virtus, pietas, modestia, morum et vitae elegancia, nec non habitus ad res bene gerendas, de maioribus honorum accessionibus boni omnes amplissime sperare possunt. Quae, vt confestim contingant, TIBI ex animo opto. Praeterea praesidium meum rogatum eo maiore cum voluptate suscepi, quum TVAE solidae eruditionis hodie in publicum edendae testis esse queam. Quod reliquum est, me TVAE amicitiae, Vir honoratissime, commendo. Ita vale, et res TVAS feliciter age.*



VERORDNUNG  
DIESES  
DIESES  
DIESES  
DIESES  
DIESES

PHASES

Das ist die erste Phase  
die zweite Phase  
die dritte Phase  
die vierte Phase  
die fünfte Phase  
die sechste Phase  
die siebte Phase  
die achte Phase  
die neunte Phase  
die zehnte Phase  
die elfte Phase  
die zwölfte Phase  
die dreizehnte Phase  
die vierzehnte Phase  
die fünfzehnte Phase  
die sechzehnte Phase  
die siebzehnte Phase  
die achtzehnte Phase  
die neunzehnte Phase  
die zwanzigste Phase





Marburgi Diss., 1789/1800

ULB Halle 3  
003 550 265



f  
sb.









Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ATIO INAUGVRALIS  
DE  
DIORVM IN LEGITIMAM  
IMPVTANDIS

QVAM  
AGNIFICENTISSIMO  
AC POTENTISSIMO  
PE ET DOMINO  
**LIELMO VIII**  
LANDGRAVIO RELIQVA  
INDVLTV  
CONSULTORVM ORDINIS  
CAESIDE  
**DREA HOFMANNO**

OFESSORE PANDECTARVM P. O.  
NO FACVLTATIS IVRIDICAE  
LICENTIA  
TROQVE IVRE HONORES  
AC  
ORIS LEGITIME CAPESSENDI  
VM ACADEMIAE PVBLICO  
MAII CIO IOCC XC  
VBMITTIT  
**HEOPHILVS BAVM**  
VIO-LAHRENSIS.

RBVRGI  
NIS BAYRHOFFERI.

1790 (XVIII 2)

VIII. 7  
1790, 1  
5/1